2794 (42)

Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHYSICA

De

Magica Morborum Curatione,

Qvam

In Illustri ad Albim Academia,

PRO LOCO,

In Amplissima Facultate Philosophica

benevolè sibi concesso,

placidæ Eruditorum collationi exponit

PRÆSES

M. CHRISTIANUS SAMUEL

Ziegra/ Wittenbergensis,

RESPONDENTE

M. JOHANNE GEORGIO Spieß/

Cattenhohenstadio-Franco,

Ad diem XIX. Maji, A. S. M DC LXXXI.

In Audit. Majori, Horis matut.

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

42.

~~744.05 S15~~
BK
A. 42266 (14)

CORNELL
UNIVERSITY
LIBRARY

I. N. J.

PRÆFATIO.

OMnes qvidem singulari qvâdam ac præcipuâ laude digni erant Persis, qvi in assequendâ honestarum artium scientiâ operam & industriam suam collocabant; famâ tamen longè majori florebant, multòq; magis colebantur illi, qvi ad Magiam omnes cogitationes suas, atq; omnia studia conferebant. Etenim qvi nostrô ævô non tantùm Sacerdotibus, verùm & Philosophis à nobis exhibetur honos, Magis tum temporis qvoq; tribuebatur, eò qvòd sacrorum agerent curam, atq; Physicam, Mathesin, administrandiq; imperia traderent rationem. Unde nec ad regiam qvis pervenire dignitatem poterat, qvi, teste Tullio *a)*, non antè Magorum percepisset disciplinam, nec, qvô pactô sit regendus populus, ab his fuisset sedulò instructus. Cuncta ad Magorum gerebantur nutum, qvidq; esset agendum omittendumvé, qvi præerant imperio, consulebant Magos, qvi adeò, ut refert Plinius *b)*, vel ipsis imperabant Regibus. Ex qvo fiebat, ut præclarô hôc Magiæ studiô capti se huic totos multi darent, eôq; nihil prius, nihil antiqvius maximis qvoq; in fastigiis constituti haberent passim viri. Sed uti nihil constans in hoc universo, qvin potiùs, qvod floruit aliqvamdiu, statim iterum vilescit: ita qvoq; hoc Magiæ nomen, adamatum priùs, contemtui ex parte maximo haberi tandem cœpit. Temporis namq; successu, postqvam scientiæ Philosophicæ degenerâssent paulatim in otiosas pariter ac

a) Lib. 1. Divinat. b) Lib. 30. Hist. Nat. cap. 1.

curiosas disciplinas, eôdem se ornabant titulô, qvi superstitiosas qvascunq; tradebant artes, &, à diabolo acti, nefanda multa exercebant, dum ad sapientiæ dignitatisq; fastigium adspirantes, qvod per artes licitas non poterant, per fraudem diabolicã nitebantur conseqvi. Hinc multa passim jactabant miracula, qvæ se Magiæ operâ prætendebant edere; præsertim verò circa Morbos, qvos curare se gloriabantur absconditô qvôdam, & vel planè supernaturali modô. Innumera autem curationis hujus superstitiosæ cùm deprehendamus genera, breves de hac materia ducturi lineas, ad certa capita omnes redigemus modos, & variis superstitionibus anilibus neglectis, ea saltem, qvæ à maximis qvoq; viris credita fuerunt, in præsenti, qvantum fieri poterit, brevissimis considerabimus. Faxit Deus, ut omnia cedant Feliciter!

CAPUT I.

De

MAGICA MORBORUM CURATIONE

PER

VERBA.

§. 1.

Cùm nihil tam ineptè dici, nihil tam absurdi impiiq; reperiri possit unqvam, qvod non vel dictum priùs, vel superstitiosè sit ab aliis jam usurpatum: insignem qvoq; illum nec detestandum satis infensissimi totius generis humani hostis fucum, Morbos *per Verba* curandi, à multis approbatum non tantùm, svasumq; universis; verùm & sæpenumerò adhibitum fuisse deprehendimus. Enimverò hanc animo sententiam imbibêre qvondam, hodieq; adhuc firmiter tenent ferè multi, tantam *verborum*, vel *ore prolatorum*, vel *scripto comprehensorum*, virtutem esse atqve efficaciam, ut Morbos cujusvis fermè generis depellere, ac ægrotum naturali viâ restituere sanitati possint. Qvam qvidem

dem amplexi tùm ex veteribus tùm ex recentioribus opinionem sunt non pauci; maximè autem *Origenes*, *Serenus*, *Aëtius*, *Cabbalistæ ferè omnes*, *Plato*, *Plinius*, *Cornelius Agrippa*, *Theophrastus Paracelsus*, *Judæi recentiores*, aliiq; hanc sententiam propugnant, cui nunqvam sine maximis laudibus commemorandus *Daniel Sennertus* a), *Delrio* item b) ac *Augerius Ferrerius* c) in suis scriptis ferunt; illorumq; vestigia ex superstitiosis hodienum legunt multi.

§. 2. Hanc verò suam sententiam, sanæ rationi veritatiq; valdè repugnantem, ut nonnihil tegant, & vel saltem aliqvô confirment modô ejusdem Patroni, commune hoc superstitionis suæ ponunt fundamentum, atqve *naturam suas in verba imposuisse* tradunt *vires, perinde ut easdem radicibus & herbis largiter concesit. Verbis* autem *ore* in specie *prolatis* cùm curatur morbus, spiritus ex corde per arteriam tunc promanare dicunt, & erumpere per os loqventis, pòst audientis se arteriis insinuare, indeq; cor petendo, eò penetrare efficaciùs ad omnes corporis humani partes. Ita qvippe singula, qvæ proferunt ore, verba concipiunt, eaq; nihil dicunt esse aliud, qvàm halitus & ab hominum corporibus defluxus, alia corpora contactu postmodùm afficientes; qvæ etiam qvà ultimum opinio fuit qvondam inter alios *Plutarchi* d). Uti verò, pergunt, hæc Verborum vis, atq; maxima eorum efficacia ubivis, non circa Morbos tantùm infligendos; verùm & ad plura alia præstanda mirum se in modum exserunt: ita prædictam qvoq; efficaciam non temerè ad valetudinem restituendam fas erit despici. Prius vel ex præstantissimis qvorumvis temporum constare opinantur literarũ monumentis, in qvibus varia ejusdem generis exempla consignavêre Scriptores, & inter alia, qvòd solùm verbis in aurem tauri insusurratis Magi beluam qvasi extinctam prostraverint: qvòdq; certis precibus fusis, aqvam cribrô hauserit Romæ virgo qvædam Vestalis. Aut qvem latere potest, addunt, qvàm efficaces sint parentum exsecrationes, dum hi sæpissimè diris ac devotionibus reddiderunt liberos immobiles? qvod qvidem, sed falsò, ad operationem dæmonis maluit referre *Ananias* e); Magi autem ad curandos Morbos adhiberi Verba qvoqve posse, inde colligunt.

a) *Pract. Med. Lib. 6. Part. 9. cap. 8. pag. 426.* b) *Disqvisit. Mag. Lib. 1. c. 4. qv. 3. pag. 48.* c) *Meth. med. Libr. 2. cap. 11.* d) *Sympos. Lib. 5. qvæst. 7. pag. 219.* e) *Lib. 4. de Nat. Dæm.*

§. 3. Et his præsuppositis diversa postmodum eaqve innumera hisce superstitionibus addicti proferunt experimenta, qvæ ipsam curationem, & modum, qvâ ratione circa diversissima morborum genera procedi debeat, ostendunt. *In genere* enim verbis pronunciatis *Febres* profligari, & *Strumas laxioremqve columellam* vulgò precibus sanari *Fernelius* (f) affirmat, carmineq; restitui *luxata membra* ex *Catone*, & *Ischiadicos* ex *Theophrasto refert.* Alii *Vomitiones* qvibusdam verbis conqviescere, qvæ vel absentes pronuncient medicaturi, si modò cognitum habeant laborantis nomen, ferunt. Qvibus nec illæ *Petri Borelli* g) dispares fuerunt observationes, qvando non modò filium amici integerrimi, *tabe* maximè detentum, cui nulla profuerant media, tandem à qvodam solis verbis curatum se vidisse scribit, optimè; verùm qvoqve (h) *Procuratoris* cujusdam *Castrensis* facit mentionem, qvi *Hæmorrhagia narium insigni cruciatus* cùm nullô remediô curari posset, tandem remedium sibi oblatum in uvæ passæ grano accepit, qvô deglutitô, statim cessavit sanguinis fluxus: hocqve remedium nihil inqvit aliud fuisse, qvàm carmen & incognita verba, chartæ inscripta, & in uva recondita, ceu Autor ipse, cui hoc communicârunt postmodum secretum, deprehendit. Ex qvibus constat, qvæ, reliqvis omnibus nunc brevitatis causâ missis, de hac per Verba medicatione *in communi* referant Autores.

§. 4. *In specie* verò hujus curationis qvod concernit modum, & qvænam exactè soleant adhiberi verba, non una eademqve ratio est eorum; sed ita ab his, ita ab illis, aliter ad hoc, aliter ad illud malum abigendum proferuntur. Nam primò vel *tacitè* demurmurantur Verba, vel pronunciari *clarâ voce* solent. *Illô modô* se qvendam, è qvacunqve corporis parte *profluentem sanguinem*, partis contactu verba qvædam murmurandô, *cohibentem* percepisse scribit oculis *Fernelius.* (i) *Clarè* verò qvæ pronunciantur verba iterum variant, dum alia σημαντικὰ *sive significantia* sunt, alia ἀσημαντικὰ *s. Non-Significantia. Hujus generis* sunt: *Abracadabra, Sator, Arebo, Tenet, Obera, Rotas &c.* it. *Chunrat,*

cara

f) *Lib. 2. de Abdit. rer. caus. cap. 16. p. 243.* g) *Obs. Medico-Phys. Cent. III. Obs. 62. pag. 244.* h) *loc. cit. Cent. I. Obs. 94. p. 98.* i) *loc. cit.*

tara, ſarite &c. Abrae, Amon, &c. Gibel, Got &c. vel illa pani inſcripta, *Irioni, Khiriori &c.* Unde ad *luxationis* & *fracturæ* curationem hæc uſurpari verba: *Matas, denatas daries, dardaries eſt araries*; & ad *morſum canis rabidi*: *Hax. Pax, Max, Deus Adimax*, B. *Sperlingius* (k) Autor eſt. *Significantia* ſunt vel *Domeſtica*, vel *Peregrina*. *Peregrinæ* voces ex aliis lingvis, *Gracâ* ſcilicet, *Ebraâ* &c. ſunt accerſitæ, & ferè ubiqve apud *Theophraſtum Paracelſum* (l) cum figuris atqve characteribus, de qvibus in ſeqventi capite, conjunctæ. *Domeſtica* vocabula alia ſunt *Sacra*, alia *Profana*. *Sacra* adhibentur, qvando, adverſus interdictum ſummi Legislatoris acerrimum, in vanum aſſumuntur nomina: *Deus, SS. Trinitas, Jehova, Jeſus &c.* it. cum vel *Heptalogus Chriſti*, vel *Evangelium Johannis* pani & butyro inſcribuntur, & ab ægrotis, maximè à rabido cane vulneratis, comeduntur. Nec minùs Sacras Literas dedecorant, qvi ad ſedandos *dentium dolores*, dum ſacrum fit, dentes contingunt, hæc efferentes verba: *Os non comminuetis ex eo*; aut ad *cohibendum ſangvinis effluxum, de latere ejus*, inqviunt, *exiuit ſangvis & aqva*. Qvò & impia illa morbos curandi ſpectat ratio, qvâ, *Febres* ut ſanent, communiter laborantis apprehenſâ manu verba hæc pronunciant: *Æqvè facilis tibi Febris hæc ſit, atqve Mariæ Virgini Chriſti partus*. Alii ante paroxyſmum cum ægroto manus lavant, ſecretò Pſ. CXLV. *Exaltabo te Deus meus Rex &c.* recitantes; vel, *guſtate & videte qvod bonus eſt Dominus*, ſupellectili ceræ inſcribunt. *Sangvinem vel ex naribus vel ex alia corporis parte profluentem* ut nonnulli ſiſtant, digitum in vulnere tenentes, & ceras ſupèr vulnere cum eo cruces facientes, impiè: *Chriſtus natus eſt in Bethlehem, & paſſus &c.* dicunt, aut qvinqvies recitant *Orationem Dominì*, vel ſemel *Symbolum*, vel certum *ex paſſione* qvendam *verſiculum*. Qvidam, *ſangvis mane fixus*, inqviunt, *ſicut Chriſtus pro te crucifixus: ſangvis mane in venis, ſicut Chriſtus pro te in pœnis*. Nec deſunt, qvi correptum *Febri* ſextâ feriâ, ante Solis ortum, verſus orientem ducunt, eôq; expanſis ad Solem manibus in crucifixi morem ſtante, dicunt: *Hodie dies illa eſt, qvâ Dominus Deus ad crucem*

k) *Inſtit. Phyſ. Lib. 2, cap. 4. qvæſt. 1.* l) *Lib. 1. Archidox. Mag. pag. 547. B. ſeqq.*

cem accesſit &c. vel *Dominicam Orationem* aliqvoties, ternisqve vicibus *ſalutationes Angelicas* pronunciant. Et easdem profanationes *Borellus* qvoqve annotavit, qvando, (m) *D. Franc. Henricus Patritius Lugdunenſis*, ſcribit, *innumeros curavit febricitantes, trium pomorum medietatibus qvibusdam vocabulis inſcriptis, qvas deglutiendas dabat. In prima ſcribebat : Chriſtus pro vobis natus eſt; in ſecunda: mortuus eſt ; in tertia : reſurrectus eſt.* Alia prætereo.

§. 5. Per *Profana* deniqve *Verba* curari morbos nihil minus plurima exempla nobis ſuppeditant Autores. Communis enim hæc ſuperſtitioſorum eſt perſvaſio, *Febres*, aſino ſi qvis in aurem dixerit *à Scorpione ſe percuſſum*, protinus tranſire. Carminibus *Ulyſſis* vulnerati *ſangvis* effluens qvâ ratione ſit cohibitus, expoſuit *Homerus* (n) *Morbum* verò *per incantationem illatum* ut ſanent, tres olei violacei aſſumunt menſuras, & conſiſtentes contra Solem ante ejus ortum læſi nomen exprimunt ejusq; matris, idq; per ſex dies, & ſingulis diebus ternis vicibus. Pòſt die ſeptimô ægrotum collocant nudum, ac prædicta nomina laminæ inſcribunt; hâcqve ratione malè affectum reſtitui ferunt mox ſeqventi die viceſimâ. Cujus generis curatio apud *Borellum* qvoqve legitur, qvi, (o) *pauper qvidam vir*, inqvit, *apud Albigenſes, multis ſcatens pediculis in capite, tandem ulcera ſubſecuta ſunt, in qvibus vermes multi nati ſunt, qvi ſub cute latitantes, neſcio qvibus viis, per aurem egrediebantur, cum maximo fœtore & ægroti incommodô, multis fruſtra tentatis remediis, tandem à ruſtico unicâ nocte curatus fuit.* Modum verò, qvô, & verba, qvibus mediantibus peracta hæc curatio, in proximè ſeqventibus Auror oſtendit. Nam, *ivit*, ulterius pergit, *juxta Ebuli plantam, ante Solis ortum, qvam inclinavit, ſubqve lapide poſuit, dicens vernaculè : Incarcero tè, herba bona, donec vermes cadere feceris, qvos N. habet in capite, vel aure*; qvibus pronunciatis ſtatim omnes ſpontè exiviſſe tradit. Et his exemplis plura adhuc addi poſſent alia, ſi opus foret. Qvoniam verò ex allatis de iſtorum ſuperſtitioſorum ſenten-

m) *Obſ. Medico-Phyſ. Cent. III. Obſ. 6. pag. 201.* n) *Odyſſ. 19.*
o) *loc. cit. Cent. I. Obſ. 19. pag. 28.*

tentia jam abundè satis constat, petiùs, qvæ nostra hac in parte sit opinio, breviter nunc proponemus

§. 6. Ac primò qvidem, si, qvod res, dicendum, suspecta valdè hæc apparet nobis ratio curandi, atqve detestandum aliqvod cum illo spiritu impuro pactum redolet, si non explicitè; tamen implicitè ad minimum initum. *Non dubitamus, Balduinus* scribit, (p) eos, *qvi per nuda verba morbos curare aut alia mirabilia efficere audent, vel inscios cum Diabolo colludere, & Catalogo Magorum & incantatorum, qvos Deus in lege suâ exsecratur, accensendos esse.* In natura enim hæc curatio locum non agnoscit, sive adhibeantur verba *clara atqve distincta*, sive *minus*: sive *significativa*, sive *nihil significantia*: sive *Ebræa*, sive *alterius lingvæ*: sive *sacra* sint, sive *profana*. Finis qvippe repugnat, ob qvem ab hominibus verba sunt formata, nihilqve aliud is est, qvàm ut communicentur conceptus; non autem effectus producantur. Qvicqvid autem, nunc colligimus, à fine verborum simpliciter est alienum, id illorum effectus nullatenus esse potest. Atqvi *Morborum Curatio, &c.* E. *Major* constat, qvia Finis & Effectus in hoc negotio nostro subordinantur sibi mutuò, nec differunt inter se realiter: siqvidem una eademqve res & Finis & Effectus est; Finis intentione, & Effectus exsecutione. *Minor* ex jam dictis patet, qvia nempe nuncii tantùm cogitationum verba sunt, qvibus, ut *B. Sennertus* (q) loqvi amat, omnes animi sensus homo exprimere, & cum aliis, ad qvorum consociationem natus est, communicare potest. Imò ne conceptum aperire qvidem verba *non significantia* qveunt, nec omnibus communicare peregrina, eò qvòd verba debeant esse σύμβολα τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων, *signa vel nota adfectuum animi*, ut *Philosophorum* ait *Princeps*. (r) Verba autem si non intelligis pronunciata, neqve rem ipsam, qvæ signatum est, & oratione exponi debet, poteris percipere; nihilqve adeò, qvod non intelligis, significabit. Adhæc si penitiùs considerentur paulò verba, nihil ea deprehendemus esse aliud, qvàm qvantitates, qvibus per se nulla vis, nulla inest efficacia. Significativum namqve si tollas usum

p) *Lib. 3. Cas. Conscient. cap. 5. cas. 3. p. 727.* q) *Epit. Nat. Scient. Lib. 7. cap. 10. pag. 632.* r) *Lib. 1. cap. de Interpretat.*

ſum, nihil certè remanebit, qvàm ſyllabarum juxta & literarum numerus, qvi non aliò, qvàm ad Qvantitatis claſſem ſpectat. Hujus autem nullam eſſe efficaciam, tùm Canon Philoſophorum loqvitur communis, tùm qvoqve inde conſtat, qvod omnis qvantitas à materia, qvæ, ut à forma ſingulæ prodire ſolent operationes, ita qvoqve ipſa omni efficaciâ virtuteq; agendi planè deſtituitur.

§. 7. Naturali ergò modô per Verba ſanari hominum ſi non poſſunt Morbi, unica adhuc, qvâ depelli citra ſuperſtitionem qveant, reſtat via. *Duos* enim, ut hanc rem propoſuit *Delrio* (s) Numen Supremum ordines tantùm conſtituit, qvibus, nec aliô qvôqvam cuncta in hoc mundo debent produci. *Primus* ordo *Miraculoſus* eſt & *Supernaturalis*, ad qvem ſpectant operationes, qvæ & Angelorum & Hominum vires excedunt, ſoliq; gratiæ divinæ ac omnipotentiæ ſunt adſcribendæ. *Alter* verò *Naturalis* eſt, qvô Deus dedit ſingulis naturam ſuam ac eſſentiam peculiarem, ſimulqve nobiliſſimas ex hiſce emanantes operationes. Et ad hunc poſteriorem qvoqve *rerum artificialium* referunt claſſem, qvando res naturales, finiâ ſe intento accommodans, diverſis formis exornat homo: eò qvòd *Naturali* hac in parte ſubjiciatur; nullatenus autem contradicat. Hinc ſi naturaliter hæc per Verba curatio non peragitur, ſupernaturali ratione perfici eandem ſeqvitur. Ad *extraordinarium* verò Dei influxum pariter non videtur eſſe fugiendum, qvia nec unicum in ſacris eorum extat promiſſum, qvæ jactant qvidem communiter Magi: neqve cum his qvicqvam Deo eſt commercii. Nam extra revelationem, per Scripturam Sacram factam, nulla exſpectanda ſunt miracula; ſed ſi fortè contingat, ut appareant talia, abominandæ potiùs tentationes debent nominari, qvibus ad miracula edenda, pro hominum lubitu, auſu nefariô ſolicitatur Deus. Aut qvamnam, qvæſo, divinæ aſſiſtentiæ, vi cujus miracula edant, ſpem poſſunt concipere, qvi per profanationem nominis divini, aliaqve, qvæ ſimul admittunt, malæ, Deo ſe exoſos reddunt? non certè artes has à Deo habent, ſed à neqviſſimo impoſtore, qvi ſuperſtitioſam mancipiis ſuis hanc ſup-

s) *Disqviſit. Mag. Lib. 1, cap. 4, qvæſt. 3, p. 49.*

ſuppeditavit curationem. *Neqve verum eſt*, ait *Scaliger*, (*f*) *ab homine homini noceri* (addimus: & ſanitatem reſtitui) *poſſe verbis. Nam qvis illum ea verba docuit? Non homo aliu. Nam qvis illum? Non cœleſtis intelligentia* (vel ipſe Deus.) *Nam qvis eam* (vel Deum) *facere audeat autorem faſcini? Ergò malus Dæmon. Non ut hominem faceret potentiorem; ſed ut ipſum deciperet crudelitate, atqve ſocium haberet tùm impietatis, tùm æterni exitii.* Ea namq; hic ſemper molitur impiâ ſuâ curatione, &, ſuperſtitioſos ut cumulet ſuperſtitione, ſedulam aſſiduè dat operam, modò ut corpora nonnihil adjuvando, animas deperdat. Hinc, *cum ſpiritus maligni, Auguſtinus* ſcribit, (u) *non poſſunt ſeducere Chriſtianos, ut dent venenum: ergò addunt mellis aliqvid, ut per illud, qvod dulce eſt, lateat id, qvod amarum.*

§. 8. Neqve verò tanti ponderis, qvæ pro confirmanda ſuâ proferunt ſententiâ, ſunt argumenta, ut per Verba Morborum curationem non eſſe improbandam, ſolidè evincant. Naturam enim in verba ſuas poſuiſſe vires, ſicut in radices atqve herbas, manifeſtè falſum, & facilè qvidem adleritur, ſed non ſatis demonſtratur. Deinde halitus, qvod ante omnia hîc præſupponunt, egredi de corpore humano, concedimus qvidem; negamus autem, defluxus hos ad proferenda verba qvicqvam conferre. Sonus namqve vox eſt, adeoqve qvalitas, & pulmonum, aſperæ arteriæ ac gutturis operâ formatur, oreq; profertur; ceu eam *B. Sennertus* (x) atqve *B. Sperlingius* (y) deſcribunt. Ob qvam igitur cauſam in hac Magica curatione Spiritus, qvi reſtituant ægrotum ſanitati, de loqventis corpore credunt egredi, cùm, ut modò dictum, verba illa non niſi qvalitates ſint? Multa verò Magos admiranda præſtitiſſe artis ſuæ beneficiô, admittimus; non tamen vel Naturæ vel Dei Supremi adminiculô; ſed vi pacti nefandi, cum hoſte Satanâ initi. Huic enim plurima ſæpe Deus permittit, cum cœleſtem doctrinam curioſa hominum deſerunt ingenia, & ultra poſſe annituntur ſape-

t) *Exercit. 349. pag. 1085.* u) *Serm. 7. ſuper Johannem.* x) *Epit. Nat. Scient. Lib. 7. cap. 10. pag. 632.* y) *Inſtit. Phyſ. Lib. 4. cap. 2. qvæſt. 8. p. 644.*

re; maximè autem, ut vanitatibus hiſce deditos in ſuis ſuperſtitionibus confirmet. Qvi idemipſe Deus parentum qvoqve exſecrationes omnesqve preces alias, ritè fuſas, habere pondus jubet, ut vel ex juſto judicio meritum de liberis, qvi dictis parentibus non ſunt audientes, ſumat ſupplicium: vel etiam piis, vi precum devotarum, omnia, qvæ ſalutaria ipſis, evenire ſinat. Imaginario autem laborantium ſi qvid circa verba præſtat fortè, non ipſis propterea verbis adſcribendum eſt; cùm, qvanta ſit imaginationis efficacia, præſertim circa Morbos depellendos, notum ſit non Phyſicis tantùm; verùm ipſis qvoqve Medicis. Nihilqve adeò ad credendum nos inducit, licitum per Verba Morbos curandi eſſe modum; ſed potiùs adducta nobis ſvadent argumenta, abominandam & planè diabolicam curationem hanc omni ſtudiô à qvolibet, cane & angve pejùs, eſſe fugiendam.

CAPUT II.
De
MAGICA MORBORUM CURATIONE
PER
CHARACTERES.

§. I.

SUperſtitioſa ſi Morborum per Verba dicenda eſt Curatio, potiori hoc meretur jure illa per Characteres cura, cui tantam communiter vim, tantamq; agendi adſcribunt efficaciam, ut omnis generis Morbos, qvi nullô remediô curari qveant aliô, vel per ſolos Characteres certæ materiæ impreſſos, ſanari poſſe ſtatuant. Etenim cùm verbis virtutem aliqvam ineſſe, argumenta adverſariorum, in præcedenti capite adducta, veritatis qvandam præ ſe ferant ſpeciem; Characteres hâc deſtituuntur penitus, nullâqve gaudent vel ſaltem probabilitate; verùm à diabolo hanc per Characteres eſſe curationem, nonnulli qvoqve huic ſententiæ addictorum fatentur ingenuè. Ita namqve

ſen-

sentit ipse Paracelsus, atqve, (a) integrum esse scribit, à diabolo remedia accipere, cùm in hominum salutem cedant; huncq; postmodum seqvuntur adhuc plures. Alii verò, qvos apud *Martinum Delrio* (b) videas citatos, licèt à Satana eandem esse verbis expresis non profiteantur; lubrica tamen valdè producunt argumenta, qvibus è cœlo operandi has deducere conantur vires; iis verò nihil solidi subesse, qvilibet facillimè perspicier.

§. 2. Nam ut hanc cœlestem operandi ostendant virtutem, species animalium mundi inferioris subjici cœlestibus imaginibus, statuunt qvidam, ita, ut Scorpios omnes terrestres regat Scorpio cœlestis, & in pisculos fluviatiles omnes suum exerceant imperium pisces cœlestes. Alii cœlo atqve stellis hanc singularem adscribunt virtutem, qvam characteribus instillare dicunt, spiritumqve astralem in eos influentem sublunaribus corporibus accommodare sese non tantùm; verùm & in substantiam eorum se ingerere occultè, ob mutuum scilicet ac sympatheticum, qvem in creatione primâ nactus est, consensum. Qvidam verò ad Characteres insculpendi tempus confugiunt, &, ut aliàs individua, cum sub determinata constellatione esse incipiunt, mirabilem qvandam operandi patiendive accipere solent facultatem: ita qvoqve characteres ab eo, sub qvo inscribuntur, cœli positu suas capere, tradunt, vires, qvæ tantos edere possint effectus. Alii deniqve, figuram qvidem principium non esse operationis, largiuntur; multum tamen conferre ad operationem, arbitrantur. Declarant hanc rem exemplis, & figuram instrumentorum causam esse dicunt, ob qvam iisdem artifex ad hunc vel illum operetur modum: aliter per serram, aliter per securim &c. Ferrum latum, inqviunt, super aqvas fertur, in formam aliam si contrahas, demergitur, & deformis figura in animo hominis tristitiam, pulchra adfert gaudium. Qvibus & similibus suam fulcire opinionem laborant maximè, qvò exempla eorundem, jamjam adducenda, firmiori niti qveant fundamentô.

a) *de Orig. Morb. invisib. qvæst. 1. pag. 34.* b) *Disqvis. Mag. L. 3. 1. cap. 4.*

§. 3. Ac primô qvidem locô Paracelſum ſiſtimus, eò qvòd præ aliis ſuperſtitioſis tribuat multum characteribus, indeq́; varios diverſisſimosq́; characterum præſcribat modos. Spaſmus enim ut curetur, ſeqventem tradit modum, eundemq́; his verbis (c) exprimit: Mache von Gold / Luna, Venere und Marte eine Mixturam, ſchlags in die länge und breite / und mache ein Sigillum darvon / ſo die Sonn unter der Erden iſt / in der Stunde Saturni. Darnach in der Stunde Jovis, ſo grab die Character, Zeichen und Wort (ad latus in Autore expreſſa) darein / hencks in der Stund Solis an / ſo die Sonn unter der Erden iſt. Vel: Du magſt von abgemeldeten Metallen einen Ring machen / und dieſe Signa (iterum appoſita) darauf verzeichnen / und den Ring an dem Hertz-Finger tragen; doch ſoll es alles in vorgemeldeter Zeit / Stund und Tagen geſchehen und gemacht werden. Contra Hydropem aliosq́; hujus generis morbos ſeqvens ſuppeditat remedium. (d) Dieß Siegel (Cancri) wird von lauterem gutem feinem Silber gemacht / ſo groß als man das haben will / in der Stund / ſo die Sonn in das Zeichen des Krebß eintritt / welches ungefährlich den zehenden oder zwölfften Tag Junii geſchicht. Und ſo der Mond keinen böſen Adſpect oder anſchauung von andern Planeten hat / ſo ſoltu in der Stund Lunæ dies Zeichen (in Autore appoſitum) drein graben: Doch ſoll es in wachſenden Mond ſeyn / und ſoll in derſelben Stund angefangen und ausgemachet werden / denn ſonſt wäre es vergebens. Solch Siegel ſoltu in der Stunde des Mondens in abnehmen / an einen Montag anhencken. Es will rein getragen und gehalten ſeyn. Es iſt getragen für die Waßerſucht eine heilſame Artzney / deßgleichen für ſonſt allerley Gebrechen des Leibes / ſo ihren Urſprung von feuchte und übriger Phlegma haben. Plura hujusmodi exempla apud Autorem ipſum conferri poſſunt.

§. 4. Præter hos verò Characteres conſtruendi modos, duo Paracelſo adhuc ſunt, qvos reliqvis præferre ſolet omnibus. De primo ita (e) diſſerit: Es ſeynd zween Triangel / die werden Creutzweiß übereinander gezogen / und in ſieben Spatia ausgetheilet / mit ſechs auswendigen Ecken / in dieſelbigen werden die ſechs Buchſtaben des hohen Nahmen Gottes A D O N A I geſchrieben / und

c) *Lib. 1. Archidox. Mag. pag. 552. B.* d) *Lib. 2. Archidox. Mag. pag. 555. A.* e) *Lib. de Occult. Philoſ. tit. de character.*

und nach rechter Ordnung gesetzt. Alterum verò genus sic describit: Es werden drey wiederhacken auch Creutzweiß ineinander gezogen. Also werdens in sechs Spatia ausgetheilet / und mit fünf auswendigen Ecken / in dieselbigen werden die fünf Syllaben des allerhöchsten Nahmen Gottes tetragrammaton beschrieben / und auch nach rechter Ordnung gesetzt. Hisce enim qvantum tribuat, explicat in seqventibus, cum pergit: Diese (characteres) seynd einer so großen Macht / daß alles / was den characteribus und Wörtern möglich zuthun ist / das ist diesen einigen allein alles müglich. Und wolt gern wissen / wo doch einer darüber wäre / in allen Nigromantischen Büchern in dem ein solches arcanum verborgen liegt. Et paulò post: In summa, diese characteres seyn so einer großen Macht / daß / so die Nigromantici ihre Macht und Tugend wüsten / und gläubeten auch denselben / sie würden alle andere characteres Wörter und Nahmen / Zeichen / und Figuren / Pentacula, die consecrirten Sigilla Salomonis, Krohn / Sceptra, Ring / Gürtel / und alle andere dergleichen ceremonias fahren laßen / zerreißen und weg werffen / darinnen sie bißher so lange ihr Vertrauen gesezt &c.

§. 5. Et his addere possumus ferè innumera alia characterum genera, qvibus adcurandos morbos utuntur in communi. Fuit Chirurgus in exercitu Gallico, Borellus scribit, (f) omnia curans vulnera cum figuræ stellæ emplastris, nullô admotô unguentô; ex solo enim linteo ea faciebat. Alii ad depellendos morbos cordiales calidos, imaginem Solis in auro puro primâ Leonis facie adscendente fabricant; & Mercurii orientis cum prima Geminorum facie vel Virginis, ad memoriam acuendam. Ad Podagrã curandã piscium adhibent figuram in auro vel argento, seu auro argento permixto, sculptã, Sole permeante Piscis in adscendente aut domo decima, ab infortuniis salvô & liberô, dominô etiam signi, videlicet Jove, salvô. Tribuunt hunc effectum Piscium qvoq; imagini, si fiat in prima Piscium facie, Lunâ medium cœli tenente Marte non præsente, & Jove non retrogradô, Soleq; supra terram constitutô: in facie autem secundâ eandem imaginem sanare tibiarum, & in tertia genuum & coxarum gredunt Morbos. Ad sensum corruptum & deperditum, morbosq; manuum,

(f) *Obs. Medico Phys. Cent. III. Obs. 40. pag. 228. seqv.*

um imprimis dextræ, Sagittarii commendant imaginem, factam de auro vel argento in prima facie primi gradûs usq; ad 5. die Solis & ejusdem horæ. Morbos cerebri frigidos ut abigant, imprimunt Lunæ, in Cancro vel etiam in Tauro existentis, imaginem purissimo auro vel crystallo. Arietis vel capitis hominis cum barba imagini in Sapphyrio sculptæ sanandi adscribunt virtutem & liberandi ab infirmitatibus multis. Leonis verò aut Sagittarii figuram, si in lapide sit, venenis resistere, & à Febre dicunt liberare.

§. 6. Porrò ad morbos capitis difficulter curabiles Arietis adhibent figuram, Martis & Saturni existentibus directis, Jove non consistente in Ariete, nec Venere in Scorpio, nec Mercuriô in Tauro à gradu primo usq; ad 5. primæ faciei Arietis. Melancholiam abigunt figurâ Capricorni, materiæ certæ insculptâ, ita tamen, ut Mercurius non sit retrogradus, sitq; cum Venere supra terram: Venus autem sit in parte Orientali; Saturnus verò sub terra, sigillumq; hoc in prima facie, Solis aut Mercurii die, Solis tamen hora, conficiendũ jubent. Igneæ triplicitatis, hoc est Arietis, Leonis & Sagittarii figurâ, pretioso lapidi impressâ omnibꝰ frigidis ægritudinibꝰ medentur, atq; Febribus phlegmaticis: si modò in Triangulo Leo teneat conum, Aries basin dextram, & sinistram Sagittarius. Terreæ triplicitatis, Tauri nempe, Virginis & Capricorni, imaginem insculpunt lapidi, ut calidis cunctis & humidis ægritudinibus auxilium ferat: & qvidem ita imprimunt, ut in cono Capricornus, in basi dextra Taurus; in sinistra verò sit Virgo constituta. Aëreæ triplicitatis, hoc est Geminorum, Libræ & Aqvarii, idolum, in lapide expressum, liberare autumant ab omnibus frigidis ægritudinibus atq; siccis, ex humore melancholico oriundis, præsertim à Febre qvartana, si in cuspide Trianguli collocetur Libra, Aqvarius in basi dextra, & in sinistra Gemini. Aqveæ verò triplicitatis, Cancri scilicet, Scorpii & Piscium, in lapide figuram calidis & siccis, omnibusq; adeò choleræ succurrere tradunt morbis, si in coronide Trianguli consistat Cancer, in basi dextra Pisces, & Scorpio in sinistra. Hæc enim aliaq; plura ex monumentis antiqvissimis congessit singulari studiô annotavitq; Cæsar Longinus (*g*) qvi conferri in hanc rem potest ulterius.

g) *de Secret. Mag. pa. 401. seqq.* §. 7.

§. 7. De hac itaq; per Characteres curatione dum noſtra jam ferenda eſt ſententia, duo hîc conſideranda deprehendimus, Materiam ſcilicet, cui Character imprimitur, & ipſa figura, qvæ illi eſt inſculpta. Materiam naturâ ſuâ has non obtinere vires largiuntur adverſarii, cùm aliàs vel ſine figuris, vel prædita qvâcunq; ſpecie, ſemperq; adeò idem præſtaret; verùm ipſis characteribus materiæ impreſſis virtutes haſce tribuunt. Hoc autem ſi foret, nobiliſſimas haſce operandi vires vel ab artifice haberent characteres, vel à ſeipſis: ſed non ab artifice, qvia characteres ſunt ab idea in mente artificis, qvæ nunqvam in exteriora agit; neq; etiam à ſeipſis. Soboles enim figura eſt materiæ, & ad qvantitatem proinde refertur; hujus autem efficaciam eſſe nullam, præcedenti capite jam diximus. Neq; etiam per naturam fieri poteſt, ut artificialia per ſe agant in naturalia, eademq; afficiant aut alterent; ſed ſi qvædam in corporibus accidit mutatio, à materia eſt, cui characteres ſunt inſculpti. In hanc enim, ut modò dictum, influere utiq; poſſunt aſtra, & varia communicare iis, qvibus antè non gaudebant; licèt non charactere inſignita, vel hujus aut illius generis inſculpta illi ſit figura. Imò ne qvidem Aſteriſmi, Leo putà, Cancer, & ſic porrò, ad qvorum exemplar in hoc ſublunari imagines fabricare jubent ſuperſtitionibus addicti, reverà tales ſunt, qvales in communi ab hominibus concipiuntur. Nam, *ex hominum arbitrio & voluntate*, B. *Sennertus* ait, (h) *docendi causâ impoſiti ſunt, qvi Aſterismum, qvem Piſcem aut Sagittarium nominant, aliô nomine appellare potuiſſent: ſicut hôc ſeculô Hollandi ſignis illis Meridionalibus, qvæ in ſuis navigationibus obſervârunt, liberrimè & pro ſuo arbitrio nomina impoſuerunt.* Qvî igitur ullum characteribus hiſce ſublunaribus præbere poſſunt influxum?

§. 8. Hinc etiam ſuâ ſponte ruunt illa, qvæ ab initio ad ſententiam ſuam corroborandam qvi à contraria parte ſtant, jaciebant, fundamenta. Primò enim licèt concedamus, faciem Leonis in hoc ſublunari ſubjici ſigno Scorpii cœleſtis; nihil tamen ſolidi elicere exinde poterunt. Etenim ne exigua qvidem inter Leonem cœleſtem atq; terreſtrem datur cognatio; aut ſi foret, cur, qvæſo, adjungerent certos adhuc ritus ſuperſtitioſos, & vel in

h) *de Conſ. & Diſſ. Chym. cum Ariſt. & Galen. cap. 18. p. 340.*

tergo inscriberent figuras, vel, si contrarium, in fronte, modò in manu dextra, modò in sinistra cur etiam foderent sigillum jam capite deorsũ, jã capite sursum, hujusq; generis agerent plura? Deinde nec admittimꝰ figuras terrestres cœlestibꝰ esse subjectas, cùm ab adversariis nondum hoc assertũ satis sit probatũ. Non etiã largimur secundò, stellas hanc infundere virtutem operandi sigillis, qvod itidem præsupponebant adversarii. Verum est, multum valere sidera in his inferioribus calefaciunt, frigefaciunt, exsiccant, humectant, illuminant, aliaq; præstant per occultas, ut vocantur, qvalitates; ad figuras autem & ad characteres insculptos qvid proinde conferant, nobis non apparet. Sanè metalla, gemmæ, herbæ, & similia easdem obtinent virtutes, licèt omni careant charactere, & hôc præsente, novam non adipiscuntur qvalitatem: ceu vel ex innumeris demonstrari res posset exemplis. Et qvamvis etiam tertiò individua, cum esse incipiunt sub certa constellatione, mirabilem qvandam agendi patiendive conseqvantur facultatem, eamq; novam; illud tamen vicissim ad characteres applicari neqvit. Sympathia enim inter substantias naturales locum tantùm habet, adeòq; in subjecti alicujus productione astra multum valere, verum qvidem est; inter figuras autem artificiales & substantias naturales, cùm hujusmodi familiaritas occulta nunqvam detur, tale qvid etiam sperari non potest. Imò ne qvidem ipsum corpus, cui character imprimitur, esse tunc incipit; sed erat jam ante, vel ex ipsorum adversariorum mente, qvi Spiritum astralem in ejus substantiam insinuare se tradebant. Qvod qvidem ex ipsis qvoq; dissentientibus nonnulli agnoscunt, atq; figuram operationum principium non esse fatentur; interim tamen ad operationem conferre multum, arbitrantur. Exempla verò, qvæ ad declarandam hanc suam sententiam proferunt, varia nullius sunt momenti. Nam artificum qvod spectat instrumenta, per accidens qvidem ad operationem figura tunc al qvid confert; verùm ad eam solùm, qvæ fit per motum localem, non qvæ per alterationem. De ferro autem adhuc dubium est, an ita qveat extendi, ut feratur super aqvas. Aut si possibile, causa non in figura; sed in ipsa ferri erit substantia, cùm

cùm vel sub qvacunqve figura, circulari nempe, sexagonâ, pentagonâ, aliâq; ferrum ad hunc modum extensum idem præstare posset. Et qvamvis denique pulchritudo delectet; in imaginibus tamen nullam advertimus, qvid? qvòd plerumqve vestibus tectæ gestentur imagines, & rarò conspectui hominum exponantur.

§. 9. Non autem, hoc dum adserimus, suas imaginationi denegamus vires, cùm satis constet, qvanta sit illius, perinde ut de Verbis præcedenti capite dictum, efficacia. Unde si fortè contingat, ut figuris istis aliqvis correspondens prodeat effectus, non characteribus; sed ipsi imaginationi hic erit adscribendus. Manet itaqve, superstitiosam & planè diabolicam hanc qvoqve per Characteres Morborum essecurationem.

CAPUT III.

De

MAGICA MORBORUM CURATIONE

PER

TRANSPLANTATIONEM.

§. 1.

NOn unô alterôve homines decipiendi modô contentus Dæmon acqviescit; sed nova intendit moliturq; assiduè, qvibus circumvenire, circumventos seducere, & seductos in perniciem æternam præcipitare tandem possit homines. Ecce enim qvantacunqve illa sit miseria, ad qvam neqvissimus impostor Satanas perduxit eos, qvi non per *verba* tantùm; verùm & per *characteres* curari Morbos posse, habent persvasum; nihilo tamen minus novam qvandam produxit superstitionem in scenam, &, qvâ ratione per *Transplantationem* qvoqve sanari possint Morbi, non paucos instruxit. Transplantari namqve dicunt Morbos, qvum ægritudines vel hujus vel illius, occultâ qvâdam, ut existimant, virtute naturali, ablatæ transferuntur vel in animalia bruta, vel etiam in alia qvæcunqve corpora, & sic ægrotos re-

fici, & à malo planè credunt liberari. Cujus rei feliciter peractæ, & ex animi sententia per *Transplantationem* curatorum cùm vel infinita prostent exempla, plurimiq; fallere, uti ferunt, nesci suppeditentur modi: multi qvoqve omni tempore fuerunt, qvi dictæ curationi non parum tribuerunt. Imprimis verò tanti hanc curationem fecit *Bartholinus*, ut (*a*) eandem vel pro magno naturæ mysterio habuerit, minimè temnendô, tùm *qvòd in ipsis qvoq; Sacris* Transplantationis hujus *præclara vestigia observet*; tùm *plurimis etiam*, longâ qvæ recenset serie, jam pridem *sit exemplis comprobata*.

§. 2. *Vestigiis* autem hisce, qvæ *in Mose de Agno*, & *in Evangelio de porcis* se cognovisse arbitratur, cùm pro miraculis Autor ipse habeat, Scripturaqve loca jam interpretari nostrum non sit institutum, meritò nunc missis, unicè hujus generis, qvæ produxit, annotabimus *exempla*. *Tres* autem, hoc dum agit, curationis prædictæ *Bartholinus* (*b*) constituit *classes*, & *primum Transplantationis modum* in *animalia bruta*: *secundum* in *partem cadaveris humani*: & *tertium* denique in *qvascunqve res inanimas* esse dicit. *Primi generis* de *Roberto Fluth*, Anglô qvôdam, præbet exemplum, qvi nonnemini *podagram* transplantavit in *canem*, cum qvo dormivit, *familiarem*, qvi deinde canis, ceu Dominus antè, podagrâ certis periodis conflictatus est gravissimè. Et hoc remedium qvoqve avunculi sui *tormina colica* mitigasse scribit, (*c*) ejusqve ancillæ *dentium dolores* sentienti *maximos* levamen attulisse, canemq; postmodum dolorum impatientiâ hinc inde cursitandô atqve latrandô, qvid sibi evenerit mali, satis demonstrâsse, memorat. Sic *Phthisicos* qvoqve fert sanari, evacuatô ex brachiis ægrorum sangvine, & propinatô *gallo gallinaceo*. *Ictterum, morbosq; alios* curari perhibet, si ex mediana ægroti sangvis extracto, ovi gallinacei testæ includatur artificiosè, & per 14. dies postmodum supponatur gallinæ ovo, exhibeaturq; tandem famelicæ. Alios mederi, dicit, morbis plerisqve ungvibus abscisis ex manibus ac pedibus, si nempe *pisci* alligentur vivo, & in mare demittatur piscis.

§ 3.

a) *Hist. Anatom. Cent. III. Hist. 66. pag. 127. seqq.* b) *Loc. cit.*
c) *Ibid. Cent. VI. Hist. 53. pag. 285. seqv.*

§. 3. *Secundus Bartholini modus*, qvô *ſtrumas alioſq; tumores* abolere docet, alius non eſt, qvàm ut pars affecta ad cadaveris humani affricetur manum. Hôc enim ipsô ſenſim contendit evaneſcere tumores, prout ſenſim putreſcit cadaver, qvod tardiùs hyeme, æſtate verò citiùs ait evenire. In qva qvidem proponenda re Autor non eſt prolixus; fuſiùs tamen de *tertio* agit, atqve, variis exemplis Morborum transplantationem in *res inanimas*, qvam uſitatiſsimam dicit, ut oſtendat, valdè eſt ſollicitus. Primò enim, uti pro certo affirmat, *Febrim qvartanam* curant pulte, ex urina ægroti, in olla nova exceptâ, & ex farina ſiliginea confectâ, qvam arbori ſive ceraſo ſive alii illinant, ut avibus cedat in prædam: tantum enim qvartanæ opinantur decedere, qvantum ex pulte aves comederint. A *lue venera*, & *cancro* ut liberent corpus, baltheum Mercuriô illitum corporiq; applicatum profundè in terram demergunt. *Verrucas* in digito cujusdam pueri ſuſtuliſſe fœminam qvandam ex Verulamio qvoq; tradit Autor, lardi particulâ pelle non exutâ, dum pingvedine verrucas illevit, & clavo particulam lardi affixam ad poſtem feneſtræ cubiculi ſui, qvod meridiem ſpectabat, Soli expoſuit putrefaciendam. Ex qvo factum, ut ſeptem menſium ſpatiô omnes evanuerint prorſus verrucæ. Nec prætereundum, qvod de fœmina Cimbrica recenſet nobiliſsima, qvæ, *occultô morbô* laborans, lactis balneo immerſa ſanitati fuit reſtituta: lac verò porcis exhibitum, ait, enecavit omnes. Et his plura ex eodem adhuc addi poſſent alia, niſi partim apud ipſum evolvi poſſent Autorem citatum, partim ex aliis qvoq; Scriptoribus qvædam adducenda proſtarent exempla.

§. 4. Ita namqve de *Podagra* transplantata apud B. T. à Güldenklee (*d*) diſſerentem legimus *Franciſcum Omichium*, Medicum Francofurtenſem, in Epiſtola qvâdam ad illum perſcriptâ: Der Herr Ferdinand von Bieberſtein iſt hart vom Podagra beleget geweſen / à multis annis. Dieſen hat ein gemeiner Mann curâ magneticâ reſtituiret / unter andern ihm venas diverſis in locis ſeciret / ſanguinem extractum in unterſchiedene Bäume gepfropffet / & ita eundem integrè reſtituit, da er zuvor gantz contract geweſen.

d) *Epiſt. Medic. Lib. 5. Epiſt. 8. cum præced. pag. 812. ſeqq.*

Diese curam hat er auch bey einem von Walwitz in der Nieder-Lausitz probiret / welcher zugleich mit mir in thermis war / auch gantz contract darnieder lag / und kurtz hernach durch berührte curam magneticam vollkommen ist restituiret worden; gestalt er solches neulicher Tagen an mich schrifftlich gelangen lassen. Cujus verò curationis qvamvis non adjecerit modum, duos tamen alios in Responsoria ad eundem Dn. à Güldenklee suppeditavit illi, ejusq; verba, *primam* cum describit *rationem*, ita habent: Wenn das letzte Viertel des Monden eingetreten ist / den andern Tag hernach / so hauet von einer frischen Weiden einen Ast / behauet und richtet ihn zu in allem / wie man die jungen Setz-Weiden pfleget zu machen / lasset dem Patienten auch an diesem Tage circa locum affectum Köpffe setzen und schröpffen / und habet darbey stehen einen grossen Topff / der über die Helffte mit des Patienten Urin / welche er einen Tag oder zwey zuvor samlen muß / gefüllet sey / thut das Blut in den Köpffen / alsbald es ausgezogen / in den Topff zu dem Urin / und rühret es wohl unter einander / das thut so lange die Köpffe gehen / oder Blut geben / leget alsdann in diesen Topff die Satz-Weide mit dem Ende / damit sie in die Erde gesetzet wird / laßt sie darinnen liegen biß drey Tage vor dem neuen Monden; alsdann machet ein Loch / etwa so weit als die Satz-Weide ist / in die Erde / giesset den Urin samt dem Blut hinein / und setzet die Satz-Weide darein / beschüttet es mit Erde / und lasset sie also stehen. Wann vier Wochen verflossen / abermahl drey Tage vor dem neuen Monden / so schröpffe ihn wieder also / thue das Blut in neuen Urin / mische es wohl und räume ein wenig oben umb die vorige Satz-Weide / geuß es alsdann auch dazu / und das thue über vier Wochen abermahl / so bringestu das Podagra vom Menschen hinweg / und curirest ihn gantz feliciter. Es muß aber dieses umb dieselbe Zeit geschehen / wenn man sonst junge Weiden zu setzen pfleget / auch sol der Monden / wann man den Patienten schröpffet / oder die Weide setzet / nicht in den Fischen seyn.

§. 5. *Alterum* curandi *genus* ita proponit: Nim̃ eine Hand voll Königskertzen-Kraut / Kreyde / so groß als ein Hüner-Ey. Die Kreyde stoß zu Pulver / koche diese Stücke mit einander in einem Fisch-Tiegel in Wasser / darinnen die Schmiede das Eisen

löschen

löſchen eine halbe Stunde; alsdann wann es verſchlagen / ſo ſetze die Füſſe hienein / wie in ein ander Fuß-Bad / und bähe ſie darinnen: Hernach mache ein Loch in die Erden / geuß das Waſſer ſamt dem Kraut und der Kreyden darein / und ſcharr es wieder zu / wann es verweſet und verfaulet / ſo iſt das Podagra hinweg. Et hoſce *Podagram* tranſplantandi modos ex manuſcriptis *D. Vechneri* Archiatri Regii ſe poſſidere ſcribit Autor, qvorum verò nondum fecerit periculum. Interim conferri poteſt *Daniel Beckerus*, qvi (e) circa *Icteritiæ*, *Hydropis*, *Lepræ &c.* curationem affinia jam dictis ex *Burggravio* profert, & in fine tandem, ſeipſum aliqvoties *Odontalgiam* etiam deſperatiſſimam profligâſſe verè affirmat, ſangvine ex gingivis dentis dolentis cum bacillo ex ſalice detractô, & juglandi floridæ & vegetæ implantatô.

§. 6. Spectant huc præterea *Borelli* obſervationes, qvi (f) multas fieri teſtatur curas, herbæ ad caminum exſiccatione vel ſub fimo repoſitione, ubi tunc, cum putreſcunt, vel exſiccantur, ipſum qvoqve malum, qvod ante tetigerunt, felicisſimè curetur. In ſpecie verò narrat de nonnemine, qvi *Febrim* Lutetiæ ſolâ caryophilli febricitantis curavit irroratione, dum, exſiccatâ urinâ, etiam reſtitutus fuit æger. Et villulæ ſuæ ruſticum omnes alios curare ſe vidiſſe ſcribit (g) ruſticos, *doloribus* detentos, vel etiam *fracturis*: qvi qvidem ad *fracturas* & *luxationes* non remedia admovit ægro; ſed ſcamni ſui pedi: ad *dolores colli*, jugum vaccarum mulieribus, boum verò viris impoſuit, & hôc pactô curavit. Nec inſuper hîc habendum, qvod de Brunellæ aridæ radice, ex annotationibus Fabritianis MSS. in Crollium, refert *Simon Pauli* (h) eam *denti dolores ſentienti* tamdiu affrictam, donec ſangvinem exprimat ex gingivis, magnetica vi dolorem ſopire, ſi cruentata ſalici, aliqvo ulqve perforatæ, includatur, mox q; foramen tubulo ex ſalice probè occluſum conſervetur. Brachii verò dolores qvâ ratione mitigentur, evolvi poteſt, qvi prolixè hac de re differit, Salmuthus. (i)

§. 7. Sed vera miſcent falſis, & cum ſuperſtitioſis naturalia con-

e) *Lib. 1 Microcoſm. Med. cap. 14. pag. 75. ſeqq.* f) *Obſ. Medico Phyſ Cent. III. Obſ. 46. pag. 233.* g) *ibid.* h) *in Quadrip. Botan. Claſſ. 2 pag. 32.* i) *Obſ. Med. Cent. III. Obſ. 34. pag. 126. ſeqv.*

confundunt, qvorum hactenus audivimus opiniones. Enimverò qvàm maximè interdum ſangvinis ad Morbos depellendos neceſſaria ſit extractio, præſertim ſi ex ſangvine impuro malum traxerit originē, nemini, ut credimus, ignotum erit. Inde verò demonſtrare neqveunt diſſentientes, Morborum Tranſplantationem fundatam eſſe in natura, cùm ægrotantes tunc reſtituat ſangvis emiſſus, licèt aliò nō transferatur. Neq; nos fugit arctiſſimum illud conſenſûs naturalis vinculum, qvô plurimâ ſæpe connexa tenentur corpora, atq; lac, extrinſecùs adhibitum, è corpore venenum attrahendô reſtituere ſanitatem valet per qvandam Sympathiam. Talem enim reverâ hîc dari, conſentiunt penè omnes, multâ experientiâ docti, peſtis tempore contagium in lactis ſubſtantiam ſe facillimè inſinuare, vel aliô modô appetere, ceu amorem hunc mutuum *Kircherus*, lapidis cujusdam indolem deſcripturus, ſimul qvoqve indicat atqve illuſtrat exemplô valdè perſpicuô. (k) Nec deſunt, qvi legitimam (qvod tamen relinqvimus in medio) dicunt curationem, qvando per manum cadaveris humani applicatam parti laboranti morbos transferunt in illam, eandemqve pro naturali defendunt eruditione præſtantes viri, & inter hos *Wedelius*, qvi (l) partim de qvâdam in Anglia Matronâ ex aliis refert, qvòd ſcirrho lienis laborans ſolô manûs defuncti & ad anatomen deſtinati cadaveris affrictu fuerit curata: partim ipſe qvoqve Conſiliarii cujusdam Saxonici hâc ratione curati memorat exemplum. Hæc ergò, ſi fortè naturalia ſunt, communiter, ut dictum, cum variis confundunt ſuperſtitionibus, & easdem his adſcribere conantur vires, qvæ tamen illis tantummodò ſunt aſſignandæ. Sangvis enim extractus, occultæ qvalitates &c. ſi per ſe morbum ſanant, qvid opus eſt Transplantatione, ut ſangvis aut aliud qvid includatur arbori, vel terræ? Aut qvomodo, ſi qvis refodiat incluſa, redire cenſent malum, etſi, qvi laborabat antè, longô diſtet intervallô, & cur non potiùs, contagioſus (qvod urgere poſſent) ſi fuiſſet morbus, effodientem, qvàm abſentem invaderet malum? Sanè meris ſuperſtitionibus atqve ceremoniis curatio iſta nititur, qvæ effectum naturalem neqveunt producere: unde nec ullam curandi morbos Transplantationi efficaciam adſcribimus.

k) *Deſcript. Chinæ, pag. 80.* l) *Phyſiolog. Med. Sect. 3. Cap. 27. de Inſenſib. Tranſpir. & Sud. pag. 189. ſeqq.*